





au 25  
26

DE  
**ACTIVITATE  
ANTIMONII DIAPHORETICI**

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

ET

CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM

P R A E S I D E

PRORECTORE MAGNIFICO

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D O M I N O

**FRIDER. CHRISTIANO IVNCKERO**

MEDICINAE ET PHILOS. DOCTORE MEDIC. PROFESS. PVBL. ORD.  
ORPHANOTROPHEI HALENSIS ET PAEDAGOGII REGII MEDICO CONSTITUTIO,  
FACVLT. MED. H. T. DECANO SPECTATISSIMO

PRO

**GRADV DOCTORIS**

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS

ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS.

DIE V. IVL. CIO ID CCLXX.

P V B L I C E D I S P U T A B I T

A V C T O R

**EPHRAIM GOTTLÖB LEDER**

HIRSCHBERGENSIS SILESIVS.

HALAE

LITTERIS IOANNIS CHRISTIANI HENDEL.

卷之三

卷之三



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
ACTIVITATE  
ANTIMONII DIAPHORETICI



PRAEFAMEN.

Quando morbi, monento CELSO, non eloquen-  
tia, sed remediis curantur: nulla certe de re  
magis oportet medicos sollicitos esse, quam  
ut *activa* remedia inueniant, inuentaque vsur-  
pent. Atqui videtur *illud* satis facile esse, cum id experien-  
tia, ad quam demum haec causa redit, quamque medici  
omnes venerabundi colunt, ostendere quam optime possit at-  
que

que explicare. Id ipsum autem longe alia ratione euenire, vel ex eo patet, quod experientissimi Viri in diuersas quandoque abeant partes, sic, vt suae vniusquisque experientiae innitatur. Neque attentum latebunt facile huius rei rationes. Quod enim primo notandum, raro accidit, vt, in curandis morbis, uno remedio vtantur medici; quo ipso fit, vt non ubique, in tanta remediorum compositione, luculenter satis elucescat, quid recte cuilibet dandum denegandumque sit? Atque etiam regimen aegri magni est in ea re momenti. Non raro enim accidere solet, vt id, quod regimem praestitit, in laudes medicamenti trahatur. Praeterea conditionis aegri singulares, morbus ipse eiusque cauſa huic illiue accidenti fauere possunt, quod remedium, si in se spectetur, vel numquam excitasset, vel alia saltim ratione, quodque ideo male, ab vſu remedii, repeterem effugient. Quem denique fugit, medicos, suam profitentes experientiam, quandoque vel ab aegro decipi, vel alios, quod turpe dictu, decipere? Quae cum ita sint, atque etiam ratio multo experientia minus hic valeat: patet, quam difficile sit, de remediorum actiuitate judicare. Libuit tamen specimen operosae huius disquisitionis exhibere, cum scriptum academicum elaborandum typisque exscribendum esset. Selegi notissimum, antimonium diaphoreticum, de cuius actiuitate adeo variae exstant atque a se inuicem abhorrentes medicorum sententiae, vt nesciam an in aliud umquam remedium tantae laudes tantaque vituperia sint effusa?

§. I.

## §. I.

*Laudes antimonii diaphoretici.*

**Q**ui blanda nouit, quae alchymistae de antimonio conceperunt, somnia, facile is intelliget, fieri aliter non potuisse, quin illi, in laudando etiam antimonio diaphoretico, multi fuerint & ad nauseam vsque garruli. Instar omnium sit **BASILIVS VALENTINVS**, famosus inter chemicos auctor. Postquam enim stibii diaphoretici, sub **PVLVERIS ANTIMONII ALBI** nomine, præparationem docuit, haec de eius virtutibus addit: hic puluis efficit egregia quaedam & mirabilia, quae non facile fidem inueniunt apud eos, qui non sunt experti: at non operatur subito, sed tempus habeat oportet, vt exserat vires suas, & ostendat experientia teste virtutem suam admirabilem. Quicunque interius laborat apostematibus, sumat de hoc albo fixo puluere antimonii in spiritu vini, vel alio vino generoso, quartam drachmae partem, quinques, vel sexies per diem, & experietur internum apostema aperiri, & omnem coagulatum sanguinem paulatim sine ullo vitae, aut sanitatis periculo expelli. Qui novo militum morbo interius laborat, utatur eo, quo dictum est modo, hoc puluere, & experietur hoc malum toto in corpore consumi, atque ex eo expelli: producit praeterea nouos crines, & innouat hominem in nouum statum, ad stuporem omnium: dat nouum, sanum & purum sanguinem, & tantum efficit boni, vt possit ne minimis eius pars (quantumvis hoc aequitas postulare videatur) a me describi vel enarrari (a). Sed immanes eiusmodi laudes scripta practicorum non minus con-

(a) **Theod. KERCKRINGI** Comment. in curr. libriumpb. antimonii  
**BASILII VALENTINI** Amstelod. 1671. pag. 229 seqq.

taminauerunt. Digna est ideo, quae afferatur SCHROEDERI sententia (*b*), a doctissimo TRALLE iam adducta (*c*). Antimonium, inquit, *diaphoreticum resistit corruptioni, mundificat sanguinem, conductit ad omnes obstructions, licet inueteratas, hepatis, lienis, mesenterii, aliarumque partium internarum; aduersus retentionem mensum, cachexiam virginum, hydropem, melanoboliam hypochondriacam, luem venereum, ulcera tam interna, quam externa, scabiem; praesertim confert in febribus malignis, exanthematis & variolis; rumpit interna apostemata, verum non subito, sed paulatim operationes suas exserit.* Neque EIVS interpres, FRID. HOFFMANNVS, multum ab ea sententia recedit (*d*), vim diaphoreticam, adstringentem, temperantem, diureticam & purgantem addens, quas tamen omnes virtutes non tam ab antimonio, quam nitro repetit, *quod in antimonio abunde figitur, salua manente vi sua refrigerante & modica, paucis cognita, & ab HELMONTIO demonstrata* (*e*). Quod etiam de stibio diaphoretico iudicium STABELIUS tulit, non minus in eius laudem cedit. Effectus antimonii diaphoretici, inquit, varii sunt, nam orgasmum sanguinis nimium & calorem quadantes mitigat, motum progressuum humorum nimis languidum adauger, humores stagnantes resolut, excretiones per transpirationem, ac sudorem promouet (*f*). Mitto iam STAHLII, IO. IVNCKERI, leMORT, NEVMANNI, CARTHEVSERI, ROLFEINCII, LUDOVICI,  
LOE-

(*b*) Confer. EIVS Pharmacop. Libr. III, Cap. XVII, p. m. 669. 670.

(*c*) EIVS Tract. de Remed. terr. p. 68.

(*d*) EIVS clav. pharm. SCHROEDERIANA p. 306.

(*e*) L.C. pagi. 302 seqq.

(*f*) Chem. Tom. II, pagi. 293. 294.

FOESEKE; & plurium aliorum iudicia, per quae ipsi saltim le-  
nior diaphoretica virtus conceditur; *absorbentem & catharsin pro-*  
*mouentem*, vel eius osores, passim largiuntur. Quando vero, vt  
refert, ex MORLEYO, TRALLES, dixit (g) SCHACHTIVS, mal-  
le se curere digito suo minimo, quam antimonio diaphoretico, id  
quidem legens, quis risum tenere potest?

§. II.

*Vituperia eius.*

Atque haec (§. ant.), in laudem antimonii diaphoretici ablu-  
ti in primis dicta, strenue ab aliis negata leguntur. Liceat pauca  
tantum eius rei testimonia afferre. Dixit de eodem BOERHAA-  
VIVS (b): *antimonium diaphoreticum iners noxia calx est, ca-*  
*rensis omni actuoso deprebendendo, per obseruationes, carens omni*  
*bono quod prius adbaerescebat; solum agit sensibiliter, quando du-*  
*plata parte purgantibus miscetur, reuera horum vires acuens, vt*  
*in puluere cornachino certissimis exemplis constat.* Aliter eius  
vsum dissuadeo. WILLISIVS (i) & GORIS (k) non absimili ra-  
tione iudicarunt. Consentientem quoque hic adducunt HOFF-  
MANVM (l), qui alias eo vitur. Denique Celeber. TRALLES  
facile ad de albando parietes unicuique antimonium diaphoreticum  
relinquit, quibus, WEDELIO indice, cum nil nisi fatua calx sit,  
commode inseruire possit, eo in artis exercitiis libenter ac securè  
cariturus (m). Quae si comparentur cum laudibus §. ant. re-  
cen-

(e) l. c. pag. 73.

(b) Element. chem. Tom. II. pag. 517. Ed. Lugd. Bat.

(i) Pharmac. rat. Part. I. Cap. de Sudat.

(k) Med. cont. p. m. 179.

(l) Obseruat. chem. Libr. III. obs. 6. TRALLES l. c. p. 72.

(m) l. c. pag. 73.

censitis, nescio, anne recte de fallaci experientia medica conque-  
ri possis.

§. III.

*Occasio scripti.*

Non tanti vero haec esse credidi, vt. inde me ab accuratori  
huius remedii disquisitione deterreri passus essem. Plura enim  
sunt, quibus similia primo fata acciderunt, medicamenta artisque  
medicace auxilia, quorum tamen virtutem aut inertiam, noxam  
vsumue salubrem subsequentes dein aetates quam luculentissime eui-  
cerunt. Neque numerus dignitasque eorum, qui stibium diapho-  
reticum vel laudant, vel contemnunt, inde me a meo potuere pro-  
posito reuocare. Quamuis enim quandam illa videantur difficulta-  
tem parere; cum nescias scilicet, a quibusnam partibus stare te  
oporteat; ea tamen euanscitur, quando perpendis: non infre-  
quenter ~~contingere~~, vt id, quod aut vir, in magna fama constitutus,  
edixit, aut mos fert, facile etiam ab aliis probetur, probatumque  
in scriptis recoquatur, atque decere veritatis studiosum, nec nume-  
rum eorum, qui sectam profitentur, nec dignitatem, nec similes  
praeconceptarum opinionum scaturigines sequi. Quae vero me  
propius ad id, quod exsequor, propositum impulerunt, fere ad haec  
redeunt. Cum viderem, vel abluti stibii diaphoretici osores, ipsi  
vim, catharsin promouentem, concedere (§. §. I. II.), eamque vir-  
tutem sese, addito catharticis, vel ad pauca grana, stibio diaphore-  
tico, exferere: cogitare coepi, stibio diaphoretico abluro vel falso  
eam virutem tribui, vel inesse quidquam, quod multo, quam nou-  
nulli credunt, potentius agat. *Quod omnino*, cum nondum ex-  
plicatum sit, disquisitionem mereri mihi quidem videbatur. Legi  
dein

dein elegans, quod edidit de calce viua *Clar. MEYER*, scriptum, idque me magis adhuc, ad disquirendum antimonium diaphoreticum, excitauit, censens, posse me forsitan, si clarissimi Viri vestigia premerem, nouam actioni istius medicamenti in corpus huma-  
num lucem adfundere. Docuit scilicet industrius ille Vir, longior-  
em vitam meritus, lapidem calcarium, igne mediante, causticita-  
tem assequi, hancque efficere, ut, & terreae istius lapidis particulae  
in aqua solui queant, & aliae calcis viuae, tam chemicae quam me-  
dicae, virtutes insint. Referens haec ad quorundam metallorum  
calces, idem ipsis, ac calcis viuae, inexistere principium docuit.  
Suspiciari ergo incepi, calcis reguli antimonialis simile forsitan causti-  
cum adhaerere, idque si adsit efficere posse, ut illa, missa etiam  
crassiore ipsis admixto sale, singularis maiorisque, quam quibusdam  
visum, actiuitatis existat. Quid iam mea me experientia docue-  
rit, commemorabo, addens, quae, ratione duce, de eodem possunt  
medicamento stabiliri. Parebit saltum e dicendis ni altioris indagi-  
nis, difficultioris certe laboris rem esse, de actiuitate illius iudicare.

#### §. IV.

##### *Experimenta quadam.*

1. In mortario, e lapide serpentino confecto, antimonium diapho-  
reticum *ablutum*, vulgari quidem methodo paratum (*n*), sed

per

(*n*) Non opus esse exstimo, hic docere, qua ratione parari antimonium  
diaphoreticum debeat? Plures equidem dantur modi, quos inter duo  
commemorantur maxime. *Vnus* unica antimonii crudi, cum tribus  
nitri partibus, detonatione & calcinatione absolvitur: *alter* vero re-  
petitas calcinations postulat. confer. *BASIL. VALENT. I. C. OSWALDI*  
*CROLLII* *Basil. chym.* p. 155. *ROLFINCHI* *Diff. chem.* V. Cap. 12. pag. 20.  
*CARTHEVS. Pharmacol.* & alli. Prior methodus vulgarissima est.

B

per aliquot iam menses asseruatum, cum sale ammoniaco exacte subigebatur. Sub ipsa tritura manifestus, quamvis leuior, salis vrinosi odor percipiebatur. Idem periculum cepi cum stibio diaphoretico *non abluto*, in bene recto vitro, per aliquod iam tempus, conservato, & sale ammoniaco. Euentus erat idem. Cum sale vero ammoniacum, in praedicto mortario, solum tererem: diu licet continua tritura, odorem tamen, quem dixi, obseruare non potui. Quod quidem monendum esse credidi, ne quis illum martialibus particulis, in lapide serpentino contentis (e), dandum esse existimet (p).

- 2) Vnicae vni salis ammoniaci addebantur antimonii diaphoretici *non abluti* vniciae tres. Mixtum indebatur congruo vase, atque applicato recipiente, lenis ignis admouebatur omniaque ea perficiebantur, quae in praeparatione spiritus salis ammoniaci attendi debent & praecipiuntur. Nullus sal vrinosus siccus apparebat. Cum viderem, duas circiter vncias in vase recipienti contineri: hoc absumto fluidum effudi. Erat faporis acri<sup>s</sup>, odoris vrinosi, sed valde debilis, syrupum violarum viridi imbuebat colore, cum acidis, sed lentius & debilius, efferuercebat, solutionem calcariae terrae, in aqua forti factam, multo tamen tardius, quam spiritus salis ammoniaci, cum alcali paratus, praecipitabat, atque demum huic, cum alcali parato, spiritui salis ammoniaci additus, eum manifesto penetrantiorum reddebat. Eundem liquo-

rem

(e) Inesse huic lapidi martiales particulas, docuit Marggraf Chimischer Schriften, 3v. Th. p. 6. Conf. quoque Pott Forschung der Lithogeognosie pag. 50.

(p) Solet enim iars, sale ammoniaco additus, vrinosum liberare. vid. Meyers Abhandlung von Kali 174. p.

- rem largitur antimonium diaphoreticum *ablutum*, quando cum sale ammoniaco simili tractatur modo (q).
- 3) Parandum curaui antimonium diaphoreticum vtrumque, vt intelligerem: anne recenter parato alias insint dotes? atque præterea cognoscere salia, in mixtione aquae, quacum stibium abluirur, contenta. E tribus id partibus nitri & vna antimonii crudii, vulgari methodo, confeci. Vna, per aliquot tempus calcinatae, massæ pars, more vulgari, abluebatur; altera siccâ conservabatur. Vtrique salem postea ammoniacum descripta ratione admiscebam (n. 1.2.), atque non potu villam differentiam obseruare. Odor erat plane idem (n. 1.), atque eundem liquorem, quem dixi (n. 2.), nec fortiorem impetrabam.
- 4) Cum siccæ massæ, a destillatione spiritus salis ammoniaci, cum vtroque stibio diaphoretico parati, residuae, alcali fixum adderem atque ignem iterum admouerem: sat copiosus sal vrinosus siccus, replens vas recipiens, conspiciebatur. E quo patet, vnicas tres stibii diaphoretici vtriusque nondum sufficere, vt, ex vnicâ salis ammoniaci vncia, omnis sal vrinosus expellatur. Minima tantum huius pars mihi ab antimonio diaphoretico libera ta videbatur.
- 5) Salem ammoniacum tam cum stibio crudo, quam regulo antimoniiali triui. At massæ istae, diu licet continuata tritura, adfusisque etiam aliquot aquae guttulis, nullo modo mares feriebant. Ut ergo soli calci reguli antimonialis odor, quem dixi, vrinosus dandus veniat.

B 2

6) Aqua,

(q) Patet exinde conuenientia huius spiritus cum eo, qui cum calce viua præratur. Vid. MEYER l. c. p. 58. 59.

- 6) Aqua, quacum stibium diaphoreticum ablutum erat (n. 3), linguae manifestam cavitatem imprimebat, syrum violarum viride tingebat colore & cum acidis adfusis effervescebat. Quando ipsi aut spiritus vitrioli, aut aqua fortis spiritusue salis venalis (quibus, ut notum est, acidum vitriolicum adhaeret) instillantur: odor acidi nitrosi percipitur.
- 7) Eandem aquam (n. 6.) evaporationi, ad siccitatem usque, commisisti, sal inde obtentus amarus erat & acris, refrigerio simul quodam, exacte gustatus, linguam afficiebat atque, sali ammoniaco additus, vrinosam eius partem liberabat. Aquam ex aere facile attrahebat. Dimidiam circiter stibii non abluti partem constituit.
- 8) Quae (n. 6. 7.) cum me docere viderentur, sali potius alcalino caustico, stibio diaphoretico adhaerenti, quam huic ipsi expulsionem vrinosae salis ammoniaci partis deberi: de purissimo stibio diaphoretico abluto parando cogitavi. Sumsi itaque reguli antimoniales purissimi partem unam & nitri depurati siccissimi atque purissimi partes tres, materiasque commixtas probe subegi. Nunc massam, cochleari ferreo mediante, apto crucibulo successive indidi, eamque, ut exacte deflagraret, bacillo argillaceo frequentius agitaui. Consumta sic omni, per dimidiae eam horae spatium calcinationi submisisti. Deinde calcem istam antimonii eo usque in aqua pura abluendam curaui, donec aqua effusa, commixtionem cum acidis, absque sensibili mutatione ferebat (r), atque syrum violarum nullo alieno tingebatur colore. Per bibulam nunc chartam massam filtraui,
- (r) Quorsum effervescentiam non solum, sed eum etiam, cuius mentionem feci, odorem acidi nitrosi refero.

ui, relieto stibio nouam semper & notabilem aquae quantitatem adfudi, ut omnem adhaerentem salem abluerem. Nondum etiam de hoc securus: calcem aquamque, de novo adfusam, ut ebullirent, igni per dimidiam horam in vase argillaceo commisi. Atque hac ratione impetravi stibium diaphoreticum ablutum (s), ab omni sale certo certius liberum, suaunque candore nitens.

- 9) Cum aquae, quacum stibium istud ablutum erat, spiritum vitrioli adfunderem: massa leuissima, candidissima tenuerrimaque precipitabatur, *materiae perlatae* nomine inter chemicos satis nota.
- 10) Siccum stibium (n. 8.) cum sale ammoniaco triui. Nullum potuivrinosi liberati signum obseruare. Vel vnica olei tartari per deliquium guttula addita: odor vrinosus manifesto percipiebatur.
- 11) Idem, de quo loquor, stibium (§. 8.); apto inditum vasi, igni denuo commisi sic, ut per aliquod tempus canderet, candens illud stibium cum sale ammoniaco triui. Neque nunc vllum potuivrinosi odorem percipere. Sat etiam citio calor stibii euauuit.
- 12) Paraui spiritum salis purum. Eum adeo per aqua dilutum, ut leuuscule tantum acido sapore linguam ferirer, stibio isti adfudi, massamque frequentius agitau. Vix potui leuem effervescentiam obseruare, licet, cum digitum, quo, sub agitatione ista, orificium vitri medicinalis obturabam, retraherem, explosionem aëris elastici, e massa liberati, manifesto perciperem. Postquam demum omne stibium subfederat: oleum tartari per deliquium filtrato liquido addebam. Tenuis praecipitabatur puluis, at non

B 3

minus

(s) Vocatur proprie *cerussa antimonii*, nil vero eam esse, quam antimoniūm diaphoreticum, cuius tantum salsa adhaerentia quandam, a vulgari, diuersitatem constituant, inter omnes constat.

minus obseruabilis, quando oleum tartari illi admiscebatur aquae, qua spiritus salis dilutus erat. Cum reliqua spiritus salis, antimonio diaphoretico superfusi, portio, per aliquot sic dies, relinqueretur: spiritui salis quidquam, ab aciditate sua, decessisse videbatur. Portiunculae ergo eius nouam stibii diaphoretici quantitatem addebam. Euanecebat aciditas omnis, fluidumque supernans aquae tantum saporem linguae imprimebat.

- 13) Dixi (n. 12.), quod stibium diaphoreticum, spiritui salis valde diluto additum, vix leuem exciter efferuescentiam. Quod tamen de eo solum valet, quod in subtilissimum puluerem redactum est. Sat vero notabilis bullularum copia, absque tamen vila vasis incalescens, obseruatur, quando integræ prædicti stibii portiunculae salis spiritui immerguntur. Interea tantum abest, ut hæc, puluere citius, acidum absorbeant, ut paulo tardius potius iste inde effectus enieriat.
- 14) Aceto vini, quod venundatur, stibii diaphoretici (n. 8.) portionem admisci. Sumto eius puluere: si a bullulis quibusdam, e fundo vasis puluereque ipso copiose prodeuntibus, recesseris, vix villam obseruaui efferuescentiam. Quando vero integris stibii diaphoretici portionibus vtebar: acetum eas cum impetu aggredi videbatur.
- 15) Massæ isti (n. 14.) instillauit solutionem tartari in aqua. Post obortam efferuescentiam puluis aestutum tenuis & grysei coloris ad fundum petebat, & fluidum supernans vini rhenani colorem aemulabat. Solutio autem tartari in aqua, cum soli aceto vini adderem: hoc intense rubro fereque bruno colore tingebat, turbidam reddebat massam, ut tamen id, quod fluido innatabat, diffusus

cilius

cilius subsideret, praecipitatum denique, eodem, quem dixi, colore imburum, toto coelo a tenui isto & gryseo puluere differens, conspiciebatur, vt nihil, id aliud quoque esse, quam aceti vini impuritates, suspicari possim. Interea cum alia suadeant experientia, stibium diaphoreticum vix solui ab aceto: istud etiam praecipitatum a terris, aquae inhaerentibus, junctis aceti vini impuritatibus, repetendum esse credo.

16) Quando eidem massae (n. 14.) maior stibii diaphoretici (n. 8.) quantitas additur: fluidi supernatantis aciditas adeo destruitur, vt ab aqua simplici differre non videatur. Sed insigni, vt is effectus eueneriat, stibii diaphoretici quantitate opus est, maiore multo, quam concharum praeparatarum. Atque etiam hic obseruaui, puluerem, paulo integri stibii diaphoretici portionibus ciuius acidum absorbere.

17) Stibii diaphoretici (n. 8.), drachmae dimidiae adfundebam aceti vini sat fortis vncias circiter octo. Exponebam massam, eam frequenter agitans, igni leniori, vt eo tamen superflua aceti copia separari inde posset. Cum viderem, colorem aceti in obscurum mutari, sinebam, vt subsidentia pulueris contingeret. Ea facta reliquam aceti portionem separabam, puluerem vero exsiccabant. Albus erat, vix, quod eius quantitatem spectat, imminutus, tenerrimus & gustu exploratus, speciem illam salis medii, quae ex saturatis, per acetum destillatum, conchis similibusque terris obtinetur, aemulabat. Nunc ipsi aquam adfundebam, vt viderem, an non solutionem eius impetrare possem? Nullam vero obseruavi. Aqua potius manifesto aceri vini, sed valde diluti, saforem imitabatur, & stibium diaphoreticum, in fundo vasis conspicuum,

spicuum, proprium iterum linguae saporem imprimebat. Quare videtur stibium diaphoreticum quam leuissime cum aceto cohaerere, nec facile huius ope in aqua solui. Caeterum istius pulueris, cui adhaerebat acetum, bonam deuoraui quantitatem: nec potui mali quidquam obseruare. Aceto vini, quod dixi, separatum esse a stibio, per aquam iterum dilutus, admiscebam oleum tartari per deliquium. Ne granulum quidem stibii diaphoretici praecipitabatur.

- 18) Portioni stibii diaphoretici integrae adfudi aquam. Copiosas hinc inde conspexi bullulas. Idem euenit, quando puluerisato stibio diaphoretico admiscetur aqua. Caeterum nil, in ea mixtione, obseruatur, quod ad calcem, viuam stibium diaphoreticum accedere, doceret.
- 19) Quando illud, aqua madefactum, stibium diaphoreticum (n. 17.) acero vini additur, effervescentia, licet integrae portiones sumantur (n. 13. 14.), longe leuior & quandoque nulla enascitur. Videntur ergo bullulae istae, quas superius commemorau, actioni singulari acidorum in calcem antimonii tribui non posse. Conferatur (n. 18.).
- 20) Sollicite, per aliquot dies, meum obseruaui corpus, omnesque ipsi, quando sueta mea prosequor negotia, contingentes mutationes notaui. Nunc die 12 Maii, quo tempestas obtinebat, ab ea, quae diebus illum praecedentibus aderat, non abhorrens, hora decima matutina scrupulum viuum stibii diaphoretici purissimi (n. 8.) assumsi, aqua fontana sat pura, nec calefacta, nec nimis frigida, vehiculo vtens. Hora secunda pomeridiana drachmam dimidiad, ex tenui cereuisia, deglutui atque eandem

eandem dosin hora quarta, iridem pomeridiana. Non potui vllam corporis mei mutationem, excepta ea, quae dicam, detergere, quae stibio diaphoretico certo dari potuisset. Calor, pulsus, excretio aluina, appetitus, diuresis reliquaeque functiones plane eadem obserabantur. Cum primam quidem dosin deuorassim: sensum pressionis circa cardiam obseruau; qui tamen stibio diaphoretico vix adscribi potest, cum is mihi alias etiam solemnis sit, quando aquae fontanae non calefactae potu vtor. Frequentiores solummodo borborygos, ad eos alias minime procliuis, obseruau; qui stibio forsitan diaphoretico, non sine ratione, tribui possunt, cum, fluidis additum, elasticum suum explodat aërem (n. 18.).

### §. V.

#### *Mixtio stibii diaphoretici.*

Liceat iam commemorata experimenta nostros in usus convertere. Sed juuabit, *nonnulla*, de mixtione stibii diaphoretici, recte alias confecti (*t*), praefari. Atque illius duae quidem vulgo solent species constitui, *ablutum* nempe & *non ablutum*, quibus tamen tertia, ad *purissimum* nempe spectans (§. antec. n. 8.), adiici potest. Stibium diaphoreticum *non ablutum* calceum sistit reguli antimonii, cui nitrum, quod dicunt, antimoniatum, ad dimidium circiter totius massae pondus, adhaeret; *ablutum* calx' est eiusdem reguli, quae nitrum quidem antimoniatum in sinu suo fo-

uer,

(*t*) De eo hic loquor stibio diaphoretico, quod methodo vulgari paratur. Quod enim alia ratione conficitur: vel qualitate, vel quantitate salium adhaeren- tium differre potest. Monui vero illud recte praeparatum esse debere. Nam quod ex impuro aut antimonio crudo, aut nitro conficitur, nostri non est instituti perquirere.

C

uer, ita tamen, vt huius illi quantitas longe, quam in stibio dia-phoretico *non abluto*, minor insit: *purissimum* denique, ab omni scilicet sale liberum, ex his solum constat partibus, quae simplici inexsistunt calci antimoniali. Vidimus nempe (§. ant.), aquam, cuius ope diaphoreticum stibium *ablutum* est, causticum saporem linguae imprimere, syrum violarum viridi colore tingere, cum acidis effervescente atque, si euaporetur, salem relinquere, qui, additus sali ammoniaco, vinosam eius partem liberat. In mixtione ergo stibii diaphoretici *non abluti* contingatur *alcali causticum* necesse erit.

Dictum est porro, quod, si aquae isti aut spiritus vitrioli, aut aqua fortis salisue spiritus venalis instilletur, acidi nitrofi odor manifesto nares feriat; notauit quoque VOGEL (*u*), quod, si non abluto antimonio diaphoretico vitrioli oleum addatur, vapores rubri adscendant; atque alias etiam notum est, quod idem, cum duabus saponis nigri partibus remixtum, detonat inque flammam erumpat (*x*). Quare stibio diaphoretico non abluto *purum* quoque *nitrum* inhaerescere deberet. Refrigerium illud, quod lingua percipit, quando sal iste ipsi applicatur, qui, post euaporatam illam aquam, relinquitur (§. ant. n. 7), nitri praesentiam confirmat. Denique tam sal, quem modo dixi, quam aqua, e cuius obtinetur euaporatione, amaritatem quandam linguae inprimit (§. ant. n. cit.), opusque etiam est, vt acidum vitriolicum, sulphuri antimoniali inhaerens, subque detonatione antimonii cum nitro liberum factum, cum tantum alcalia amet, cum parte nitri alcalina, acido suo orbata, quantum potest, se se coniungat. Atque inde quaedam *arcani dupliciti*

(*u*) *Institut. chem.*, §. 710. pag. 335. edit. 1757.

(*x*) IDEM I. C. GRANTZ *mater. medic. & chir.* Part. III. p. m. 73.

plicati species emergit. Quoniam nunc chemicis sal, e nitro puro, alcali caustico & specie ista, quam dixi, arcani duplicati compositus, nitri antimoniatii nomine venire soleat: stibio diaphoretico non abluto nitrum antimoniatum adhaerescere debet; idque ad dimidium circiter totius massae pondus, prouti id suadent ea, quae §. ant. n. 7. edixi. Quae altera nunc restat huius stibii pars, addito pingui recteque adiplicato igne, in regulum antimonii transit (y). Quare ex dictis, mixtio stibii diaphoretici non abluti, constat. Quando huic eo usque aqua superfunditur, donec omnis sapor euanscitur: ablutum vocatur. Cui ergo, praeter calcem antimonialis reguli (utpote quae in aqua solui, in se spectata, nequit) vel nil, vel longe minor nitri antimoniatii copia inerit. Arque hoc obtinere, plura suadent, maxime vero ea, quae (§. ant.) dicta sunt. Quod si enim phoenomena (§. ant. n. 1. 2. 3.), comparaueris cum his, quae (§. cit. n. 10. II.) commemorauit: patet facile, saltem, abluto licet stibio diaphoretico, adhuc ineffe (z). Alia argumenta mitto – Quod denique purissimum spectat stibium diaphoreticum: cum ab abluto non nisi in eo differat, quod, ob diurnam frequentioremque aquae actionem, omni sale destitutum sit, purissimam tantum sister reguli antimonialis calcem. Calx vero ista terra est reguli antimonialis vitrescibilis, quae vel perditis, vel mutatis, alias commixtis, phlogisto & terra terra BECCHERI, in album, tenerum atque friabilem puluerem conuersa est (a).

## §. VI.

(y) VOGEL loco citato pag. 334.

(z) Vid. etiam VOGEL loco citato.

(a) Potest enim, certis encheirisibus adhibitis, vitrum antimonii e stibio diaphoretico confici. Nunc vero vitrum antimonii e vitrescibili antimoniatii reguli parte nascitur (VOGEL. Dissert. sistens analiecta chem. de vitro antimonii

## §. VI.

*Stibii diaphoretici virtus resoluens.*

Quando laudes considerantur, quibus stibium diaphoreticum afficitur (§. I.): eas potissimum vi eius resoluenti debere, ni adumbrae sint, adscribi, non poterit non vnicuicunque patere. Meretur ista ergo illius virtus, quae primo loco consideretur. Reperi vero porest, *vel* a salinis particulis, stibio diaphoretico tam abluto, quam non abluto adhaerentibus (§. ant.), *vel* a calce reguli antimoniialis eiusque actiuitate, *vel* demum ab utraque, quam dixi, causta, sale nempe, calcem acuente. Quid sentiam ea de re? aperte pronunciabo.

a) Quod ergo salia, stibio diaphoretico admixta, inque se confidata, spectat: nemo erit adeo in medicina hospes, quin sciat, salia quaevis, e quibus conflatum est nitrum antimoniatum (§. ant.), sanguinem reliquaque corporis nostri fluida, plus minus potenter, resoluere. Quod si vero, inde ab his salibus, vim stibii dia-

§. 18. *EIVSDEM opuscula medica selecta* Tom. I. pag. 163 sq.). Quare terra virescibilis, BECCHERO ita dicta, stibio diaphoretico atque eius speciem parti, quae calcem antimoniui fissit, inesse debet. Verum notauit LEMERY (*Traité de l'Antimoine* p. m. 369.), & cum hoc VOGEL (*Opuscul. med. select.* p. 171), detonationem calcis antimoniui, cum pitro remixata, non contingere. Quare phlogiston, quod antimoniui regulo inest, *vel* perditum esse debet in calce, *vel* mutatum. Apposite dico: *vel* perditum, *vel* mutatum. Reste enim Cel. VOGEL animaduertit (l. m. c.), dari substantias, certo certius phlogiston continentis, a quibus tamen detonatio absit — Quando demum terra BECCHERI teria, mercurialis & arsenicalis dicta, metallis mixtisque dat formam, penetrantium, odorem, PONDVS, SPLENDOREM, Incen etc. prouti BEGCHERS affirmat in *Alphabete minerali* (vid. EIVSDEM *tripus hermet. fatidicus pandens oracula chym. a ROTB.—SCHOTZIO edit. p. m. 107*): in calce certe antimoniui ista debet terra *vel* deesse, *vel* mutata exsistere.

diaphoretici resoluentem velis solum repetere: tria sunt, quae largiri te oportebit. *Primo*: purissimum stibium diaphoreticum (§. ant.) omni vi resolvente desitui. *Secundo*: stibium diaphoreticum non ablutum, quod resolutionem humorum attinet, abluto esse generatim praferendum. *Tertio*: dari in medicina resoluentia, quae stibio diaphoretico, ni praferri, certe aequiparari possunt, atque non tanti esse vim istam resoluentem, ut ne posset ideo medicina stibio diaphoretico carere.

- 3) Verum enim vero placebit sine dubio quibusdam, superiora (§. I.) defendantibus, ad calcem ipsam prouocare, quam etiam purissimum antimonium diaphoreticum repraesentat (§. ant.). NEVMANNVS certe, quando in eos, ut solet, inuehit, qui BOER-HAAVII sententiae (§. II.) calculum adiiciunt, manifesto, ut contrarium suadeat, regulinam antimonii diaphoretici substantiam, facile restituendam, allegat (b). Quaeritur ergo: anne recte isti calci vis queat resoluens tribui? — Sollicite hic omnia ea momenta perquirens, quae, ad affirmandam eam quaestionem, afferri possunt: haec tantum, si quid ego iudicare possum, valebunt, quae protinus dicam, & limae simul subiiciam. (i) cum BOER-HAAVIO placuerit, vim viui mercurii resoluentem, a specifica eius grauitate, repetere (c), atque partes metallicae non leui gaudeant pondere specifico, adeo, ut etiam mineralogis placuerit, hanc qualemcumque earum qualitatem definitioni metalli inserere (d): videri forsitan posset, ac si stibium diaphoreticum, specifica sua

C 3

gra-

(b) EIVSDEM paelect. chem. ed. a ZIMMERMANN O 1740. pag. 1476.

(c) De lue aphrodisiaca in EIVS opusculis omn. p. m. 127. 128.

(d) Vid. v. g. VOGEL, LEHMANN & plures.

grauitate, in cor sanguinemque agens, huius globulos disspellat totamque massam resoluat. — *Enim vero multa sunt, quae BOER-HAAVIO, istam mercurii agendi modum profitent, opponi pos-* sunt. *Haec autem omittens: duo supersunt, quae me, quo minus istam sententiam, quod stibium nostrum spectat, amplectar, impediunt.* *Namque primo calx reguli antimonialis desit esse pars vere metallica — dein experientia me docuit, quam difficile fiat, ut stibium diaphoreticum, ebulliente ipsi adfusa aqua, denuo subsideat fundumque petat, si in minimas redactum sit partes, quod certe a corpore, cui magna specifica grauitas inhaeret, plane alienum esse inuenitur.* — (2) *Quando corpori specificie grauiori aliud, quod specificie leuius est, admiscetur: solet tunc illud specificie leuius reddi, subque eodem volumine minore, quam antea, materialium particularum copia gaudere.* *Quae, quando liquidis nostris contingit, mutatio: resolutionis tunc ipsis statutum inductum esse, nemo quidem est, qui dubitabit.* *Atqui vero vidimus modo (n. r.), quam leue sit stibium diaphoreticum, aquae innatans.* *Nonne itaque ideo forsitan resoluet fluida nostra, quod, tamquam corpus specificie leuius, specificie grauioribus additur?* — *Minime quidem.* *Vt enim terra, liquidis nostris inexsistens, a resoluentis remedii natura longissime distat: sic stibium quoque diaphoreticum, illi certe acquiparandum, solueuere fluida corporis humani dici nequit.* — *Praeterea aquam istam (n. r.) lance trutinaui & comparaui cum simplici eiusdem naturae aqua, nec potui differens, sub eodem volumine, pondus obseruare.* — *Suspicari denique fas esset, stibium diaphoreticum, cum aquam adeo attrahat, incrassare potius, quam attenuare*

fan-

sanguinem (e). — (3) Quando ad *specificam indolem & compositionem* stibii diaphoretici, in quantum e calce antimonii constat, prouocare volupe videtur: parum de ea dici, cum veritatis specie, potest. Nouimus quidem, regulinam antimonii partem e terra vitrescibili, pingui & mercuriali BECCHERI compositam esse, calcemque illius, quam stibium diaphoreticum nominamus, terra tam pingui, quam mercuriali forsitan destitui, remanente solum vitrescibili (f); enim vero de huius mixtione, si vere simplex exsistat (g), nil potest amplius dici. Nouimus solum, calcem istam, quod dotes quasdam spectat, proprius paulo ad terram calcariam, quae vulgo ita vocatur, accedere, cum linguae fisticulosâ adhaereat acidumque adsorbeat (§. IV.) atque illam, externa facie, aemulet. Atqui vero terrae calcariae, in se spectatae, non resoluunt, quod quidem eo rectius ad antimonii calcem transferri potest, quo certius constat, purissimum stibium diaphoreticum vix *sensibilem mutationem corpori inferre* (§. IV. n. 19.). (4) Cum calx viua soluentem exserat virtutem, quae, quando calx ex terra calcaria atque caustico constat (h), huic debetur, atque causticum idem, demonstrante id MEYERO, quorundam etiam metallorum calces, igni expositas, ingrediatur (§. III.): videri forsitan possit, ac si idem causticum calci antimonii adhaereat ipsique vim soluentem imperiat. Atque illud quidem causticum

(e) Noli haec ita explicare, ac si stibio diaphoretico *vere* istum effectum adscriberem. Quamvis enim eueniire queat: poterit tamen non minus, si valde cum aqua in primis dilutum propinatur, praepediri.

(f) Vid. §. (ant. n. a.).

(g) *Illustr. b. m. IVNCKERI conspect. chem.* Tom. I. p. 62. Tom. III. p. 1.

(h) Vid. MEYER l. c.

sticum calci antimonii inesse, mihi, fateor, omnino probabile videbatur, tum ob id, quod de metallis modo dictum, tum ob similitudinem, quae, terram inter calcariam & purissimum stibium diaphoreticum, intercedit. Accessit solutio materiae perlatae in aqua, quam credidi ea concipi ratione debere, qua solutio calcis viuae in aqua contingit, caustico, calci viuae adhaerenti, monente MEYERO, danda (*i*). Denique tentamina, §. XIV. allata, quae docent, vrinosum salis ammoniaci eadem fere ratione, stibii diaphoretici ope, extorqueri, ac eius quidem separatio, calce viua mediante, efficitur, magis mihi magisque caustici in stibio diaphoretico praesentiam suadere videbantur. Nam vero quam sit speciosa ista theoria falsa, alia, superius (§. IV.) commemorata, experimenta edocent. Cum enim purissimum stibium diaphoreticum atque etiam id, quod nouam ignis vim sustinuit, vrinosae salis ammoniaci parti expellienda impar sit (§. IV. n. 10. 11): sequitur, expulsionem vrinosi, factam ope stibii diaphoretici tam abluti, quam non abluti (§. IV. n. 1 seq.), non calci quidem antimonii, sed adhaerenibus salibus deberi. Nunc vero sal iste, quem euaporata aqua, cuius auxilio stibium diaphoreticum ablutum est, relinquit, non solum manifesto vrinosum salis ammoniaci extorquet (§. IV. n. 7.), sed admixtum quoque habet alcali causticum fixum, (§. ant.), de quo alias notum, id se ad salem ammoniacum, calcis instar viuae, gerere (*k*). Quare dubitari nequit, quod huic solum sali expulsio salis vrinosi ex ammoniaco sale adscribenda veniat. Eadem caustico sali solutio materiae perlatae

(*i*) MEYER I. citato pag. 32. 37.

(*k*) MEYER loco citato pag. 36 seqq.

latae in aqua debetur, quo etiam sit, ut ex addito acido praecipitetur (1). Quibus ita comparatis consequitur, *soli calci antimonii causticum minime adhaerere, vimque inde eius soluentem repeti non posse.* Praeterea causticum, metallis eorumque calcibus adhaerens, *non absolute resolutum*, cum minium, lithargyrum eo abundant, licet minime resoluant. Demum addere licet, quod, si isti calci vere causticum resoluens insit: id ipsum tamen minus caro pretio haberi posse, quando calx viua, terrae calcariae calcinatae & similia adhibentur – (5) Supereft expendens nexus salium, cum calce antimonii, vnde singularis vis resoluens emergere potest. Atque de hoc nunc dicam.

v) Obseruando nempe discimus, eam esse corporum metallicorum rationem, ut illa, sive inertia sint, sive minus actiua, insolitum adipiscantur vim atque potentiam, quando iisdem arctius paulo particulae salinae adhaerent. Docent id aurum fulminans, lapis infernalis lunaris, mercurius sublimatus & similia. Nonne itaque suspicari licet, calcem antimonii vim quandam, eamque resoluentem, ab admixtis aut adiunctis partibus salinis imperare? – Particulae illae salinae possunt esse *vel* eae, quae illi, ob adhaerens nitrum antimoniatum (§. ant.), insunt, *vel* salia in corpore ipsi humano admixta.

### N) Quod

(1) Dicit HOFFMANNUS l. c. obseruat. chem. haec calcis (Bezoardicu[m] minerale, cerussa antimonii, materia perlata, antimonium diaphoreticum) nec facile ulli menstruo extra corpus obsecundant, nec intra corpus liquorem soluentem offendunt, vnde quid statuendum iam sit de earum virtute, ex facili iudicari licet. Patet vero ex dictis, adhaerens alcali causticum omnino efficere, ut, vel ab aqua, pars quaedam calcis antimonii soluatur.

D

N) Quod salia spectat, quae stibio diaphoretico iam immixta sunt (§. ant.): missis nitro puro & arcani duplicati specie (§. cit.), utpote quae quam leuissime cum calce antimonii cohaerent, neque ideo ipsi mutationem quandam inferre possunt, alcali tantum causticum fixum attendi meretur. Monui iam, huius ope fieri, ut, in aqua simplici, soluta teneatur materia perlata. Qua propter opus est, ut alcali illud arctius sit cum calce antimonii connexum. Atque ex isto omnino nexu maior videri posset vis resoluens oriri. Quando enim causticum, soli terrae calcariae, in calce viua, adhaerens, cum hac vim soluentem, qua sola illa terra minime gaudet, communicat, prout id morbi testantur, in quibus tollendis calx viua magni exstitit usus (m): dubitari forsitan non posset, quod alcali causticum, arctius cum antimonii calce coniunctum, vim ei soluentem impertiat, ipsumque ab illo nexu, maiorem obtineat virtutem resoluentem. Verum enim vero tantum abest, ut id extra omnem dubitationis aleam positum sit, ut illi potius theoriae, haud facile soluenda dubia opponi queant. Enim vero (r) quod a calce viua desumitur argumentum, id quidem videtur minus bene afferri posse. Manifesto enim ponitur, causticum, calci viuae adhaerens, terreis moleculis vim soluentem impertire. Id ipsum autem minus recte affirmari, vel ex eo patet, quod aqua calcis viuae non minus absorbeat, exsiccat, quam resoluat: ut ergo illi similesue effectus a terra calcaria, hic vero ac caustico solum pendere videantur.

(2) quan-

(m) conf. Mater. med. scriptores, VOGEL, CRANTZ & alii.

(2) quando calces metallorum, ob addita salia, vim adipiscuntur resoluentem: solent tunc potenter & resoluere & irritare. Nonne tunc idem de calce antimonii dicendum? Iam vero BOERHAAVIUS nitrum stibiatum (cui certe calx antimonii simul adhaeret) (n) commendat in pleuritide, variolis similibusque morbis, cum phlogosi connexis. Nam vero istis morbis valida irritantia minus apte medentur. Recensens quoque stibii diaphoretici non abluti virtutes, *materies haec*, inquit, ita rite parata, *semidrachmae copia hausta*, vix aliquid sensibilis mutationis adfert, nisi, quod respectu nitri fixantis adbaerescentis, inoderate aperit, hinc in acutis boni quid praefat (o). Quod si nunc calx antimonii, ob arctius coniunctum alcali causticum, solueret, hincque tinturarum alcalinarum, cum metallis paratarum, vicem gereret: eam moderate appetire vix dici posset, in acutis praeprimis morbis. (3) calces metallorum, quibus causticitas est impressa, solent spiritum vinosum, cum sale ammoniaco commixta, largiri, qui sua sepe vi atque efficacitate distinguit, minii exemplo. Verum vidimus (§. IV.), quam debilis fuerit spiritus vinosus, quem mediante stibio diaphoretico, vel abluto, vel non abluto, obtinuimus. Non videtur ergo alcali causticum, in mutanda antimonii calce, multum valere, id quod quemlibet eo facilius concessurum esse credo, quo luculentius ex §. IV. constet, calcem antimonii non facile in se causticum ab igne recipere.

## D 2

Con-

(n) Quando enim aqua, cui nitrum stibiatum, cum materia perlata, inhaeret, evaporatur: massa relista sub *nitri stibiat* nomine comprehenditur.

Vid. BOERHAAVE *element. chem.* Tom. II. p. m. §17.

(o) l. m. c. p. §16.

2) Considerabimus ergo salia, ipsi forsitan in corpore humano adiungenda. *A sale communi* nec mutatur, nec ipsi mutationem infert. Licet enim regulus antimonii adeo facile cum acido salis coniungatur: calx tamen eius reguli, in se spectata, acidum salis e vesco sale potest minime extorquere, quando scilicet purissima antimonii calx, ne cum sale quidem ammoniaco trita, cuius tamen vrinoso laxius, ut notum est, acidum salis adhaeret, ac minerali alcali, in sale communi contento, acidum salis attrahit (§. IV.). *Sal ammoniacalis*, in corpore nostro latens, vix a sibio diaphoretico mutatur. *Purissimum* enim nullo modo vrinosum salis ammoniaci liberat (§. IV.): ablutum liberat id quidem (§. citat.), multoque magis non ablutum, vtpote alcali caustico magis refertum, a quo illud phaenomenon proficiscitur (per ant.). Qui vero perpendit, quam minima vi eo in effectu edendo, sibium diaphoreticum gandeat (§. IV.), tuncque simul considerat, quod nec magna istius salis copia corpori nostro soleat inesse, nec sibium etiam diaphoreticum, commixtum cum liquidis nostris, multum aquofis, tantum hic assumptum valeat, quantum extra corpus humanum valere deprehenditur: intelliget facile, quod sibium diaphoreticum, si ingeratur, vrinosum salis ammoniacalis, liquidis nostris inhaerentis, partem vel nullo modo liberet, vel ea saltu ratione, ut nequeat exinde attentione dignus exspectari effectus. Quod *acida* spectat, siue humoribus nostris insint, siue ingurgitata, aut in corpore enata fuerint: nullus quidem dubito, quod, cum calx antimo-

nii

iii absorbentem exserat virtutem (§. IV.), ei non solum facile adiungantur, verum etiam in salem mediae quodammodo naturae, ei iuncta, transeant, qui, quod neminem fugit, resoluit, licet his non parum obstant (§. IV. n. 17.) notata. Quando vero perpendimus (1) acidum, quandiu sanitatis statui responder, opprimi non debere; (2) acidum praeter naturale sui quidem absorpcionem, haud vero semper resolutionem humorum indicare; (3) dari resoluentia longe excellentioris virtutis, quam quae terra remedia sifunt, quorum vis resoluens ab acidis demum corporis humani absorptis exspectatur; (4) videri conchas praeparatas similiaque longe facilius, quam stibium diaphoreticum, cum acidis coire (§. IV.): patebit facile, posse ex his, quae concessimus, vix quidquam in laudem stibii diaphoretici trahi. *Alcali purum* stibiumque diaphoreticum ita se mutare nequeunt, ut vis stibii resoluens inde emergat; sique etiam contingere: noxam adferret, cum vel ipsum alcali purum humores nimium resoluat.

*Idem de putrido* valet, quod vero, acidum absorbens, adauger.

### §. VII.

#### *Vis stibii diaphoretici absorbens.*

Si quae vim quam stibii diaphoretici virtus per obseruata claruit institutaque experimenta: ea certe est, quae fese, in absorbendibus acidis, exserit, cum, vel ex superioribus (§. IV.), constet, tam acetum vini, quam spiritum salis, sufficiente ipsis, purissimi etiam stibii diaphoretici, quantitate addita, omni sua aciditate privata esse. Quando autem, quod sit, vel abluto, vel non abluto

D 3

vii.

vitum: alcali etiam admixtum in considerationem venit, quod facilius adhuc, quam calx antimonii, acidum infringit. Non possum vero non, his addere 1) dari viliora & meliora absorbentia, quorsum conchas, saponem refero. 2) posse stibium diaphoreticum, in quantum acidum absorbet, damna quaedam corpori inferre, maxime vero ad putredinem disponere, eamque iam praesentem, augere. Quam male ergo in morbis paeprimis acutis stibio diaphoretico indiscriminatum vtatur? intelligitur.

### §. VIII.

#### *Vitis stibii diaphoretici phlogistica & antiphlogistica.*

Vidimus (§. I.), tribui stibio diaphoretico, ab egregiis Viris, virtutem tam phlogistica, quam antiphlogistica. Quod quidem minime sic interpretari debet, ac si, quos laudau, Viri stibimet ipsis non consentiant, quando notum est vinum, camphoram & similia & phlogistica & antiphlogistica virtute gaudere. Num autem ista duplex virtus recte assignetur stibio diaphoretico? inquiri debet. *Phlogosi medetur* (1) in quantum absorbet. Satis enim notum est, acidum, in primis maxime viis praefens, phlogosin quandoque excitare; (2) dum nitrum purum in sinu fuerit. *Phlogisticam exserit virtutem* (1) ob alcali causticum admixtum, quod irritat & commouet; (2) auget istam, licet minori in gradu, arcani duplicati species admixta; (3) cum acidum abundantans torporem quandoque, calorisque imminutionem inferat: stibium diaphoreticum, dum absorbet, calorem augere valer. Quod si nunc haec, de utraque virtute dicta, ad se inuicem referen-

ferantur: patet, nec in phlogosi, nec in caloris imminutione optimum esse remedium stibium diaphoreticum. Dantur enim, quae, in vitroque morbo, citius meliusque agunt.

### §. IX.

#### *Vis euacuans & aliae virentes.*

Notum est, temperantia, absorbentia & resoluentia quandoque sudorem pellere: alcalia caustica fixa, terrea absorbentia, inque salem mediae naturae mutata, ut & nitrosa, cum arcano duplicato, interdum diuresin promouere, alias etiam excretionem aluinam. Quibus ita comparatis, poterit omnino stibium diaphoreticum diuresin, diaphoresin & catharsin promouere. Quis vero non videt, eas virtutes a) purissimo stibio diaphoretico rarissime adsignari posse? b) viiiora & meliora dari, his effectibus consequendis maxime paria, remedia? Caeterum cum ex disputatis intelligatur, stibium diaphoreticum ablutum & non ablutum resoluere, temperare, quandoque phlogosin excitare, absorbere, & nonnumquam has illas excretiones intendere: sine difficultate diiudicari potest, quibusnam in morbis recte adhiberi queat (conf. §. I.)?

### §. X.

#### *E p i l o g u s.*

Colligitur ex praedictis:

stibium diaphoreticum tam ablutum, quam non ablutum remedium esse vere actuum. Errare ergo, quorum sententiam commemorauit §. II.

2) stibium

- 2) stibium diaphoreticum non ablutum, abluto potentius, operari. Quamuis enim hoc, illo melius, absorbere videatur, cum calce abundet: tamen non ablutum maiore etiam alcalini salis copia gaudet.
- 3) dari remedia, quae omnes stibii diaphoretici virtutes melius exserunt.
- 4) esse itaque stibium diaphoreticum eius farinae remedium, quo officinae pharmaceuticae quam optime carere possent. Quod quidem eom luentius aequos iudices concessuros esse credo, quo magis differens praeparatio diuersam quoque salium copiam, ideo non facile reputandam, inducit.







Ua 4711



Slb.

3



au 25  
26

DE  
ACTIVITATE  
ANTIMONII DIAPHORETICI

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

ET

CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
P R A E S I D E

PRORECTOR MAGNIFICO

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D O M I N O

FRIDER. CHRISTIANO IVNCKERO

MEDICINA ET PHILOS. DOCTORE MEDIC. PROFESS. PVBL. ORD.  
ORPHANOTROPEI HALENSIS ET PAEDAGOGII REGII MEDICO CONSTITUTVO,  
FACVLT. MED. H. T. DECANO SPECTATISSIMO

P R O

G R A D V D O C T O R I S

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS  
DIE V. IVL. CID ID CCLXX.

P V E L I C E D I S P V T A B I T

A V C T O R  
E P H R A I M G O T T L O B L E D E R  
H I R S C H B E R G E N S I S S I L E S I V S .

H A L A E

LITTERIS IOANNIS CHRISTIANI HENDEL.

B.I.G.  
Black

Blue Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Inches  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres  
2.5 5 7.5 10 12.5 15 17.5 20 22.5 25 27.5 30 32.5 35 37.5 40 42.5 45 47.5 50

Farbkarte #13

